Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36542
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

cybum tenditur: parentis primi lapsus iteratur. At con
tra admonendi sunt abstinentes, ut sollicite semper aspiciant
ne cum gule uitium fugiunt acriora eis uitia quasi ex uirtute
generentur; ne dum carnem macerant ad impacientiam spiritus
erumpant; et nulla iam uirtus sit quod caro uincitur: si spiritus
ab ira superatur. Aliquando autem dum mens abstinentium ab ira
se reprimit; hanc quasi peregrina ueniens leticia corrum
pit; et eo abstinentie bonum deperit. quo se a spiritalibus uitiis
minime custodit. Unde recte per prophetam dicitur: In diebus

in esaya

ieiuniorum uestrorum inueniuntur uoluptates uestre. Et paulo post;
Ad iudicia et lites ieiunatis; et percutitis pugnis. Volup
tas quippe ad leticiam pertinet; pugnus ad iram. Incassum
ergo per abstinentiam corpus atteritur: si inordinatis dimissa
motibus mens uiciis dissipatur. Rursumque admonendi
sunt ut abstinentiam suam et semper sine munitione custodiant;
et numquam hanc apud occultum iudicem eximie uirtutis cre
dant; ne si fortasse magni esse meriti creditur, cor in elatione
subleuetur. Hinc namque per prophetam dicitur: Numquid tale est
ieiunium quod elegi? sed frange esurienti panem tuum; et egenos
uagosque induc in domum tuam. Qua in re pensandum est uirtus
abstinentie quam parua respicitur; que non nisi ex aliis uirtu
tibus commendatur. Hinc Iohel ait. Sanctificate ieiunium; Ieiunium
quippe sanctificare est adiunctis bonis aliis dignam deo abstinentiam
carnis ostendere. Admonendi sunt abstinentes ut nouerint

8